



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm, In Tertiam Partem
Divi Thomae. Tomi Qvinque**

Mysteria Vitæ Christi, Et Utrivsqve Adventvs Eivs Accurata Disputatione Ita
complectens, vt & Scholasticæ doctrinæ studiosis, & Diuini verbi
Concionatoribus vsui esse poßit

Suárez, Francisco

Moguntiaë, M.DC.XVI.

Qvaest. XXXIII. De modo & ordine conceptionis Christi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94022](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94022)

bat se, effectiue attingendo illam aggenerationem partialem: quæ in nutritione fit, quamuis effectiue non faceret hypostaticam vnionem illius partis materiæ. Sicut etiam verè dicuntur Iudæi interfecisse Deum, quia dissiuerunt animam à corpore, & è contrariò, si Deus vsus esset creatura ad suscitandum Christum, illa diceretur verè suscitasse Deum, & effectiue hunc hominem, quamuis vnionem hypostaticam non effecisset. Adde præterea, quamuis contradictionem implicet, hominem per illam actionem seminis, quæ ad generandum necessaria est, vnire effectiue humanitatem Verbo, quia illa est actio naturalis, & à virtute naturali tantum procedens, quod ad vim argumenti pertinebat, cui iam responsum est: non tamen implicare contradictionem creaturam assumi à Deo, vt instrumentum ad illam vnionem faciendam, vt probaui latè supra quæst. 2. Quia tota illa actio versatur circa humanitatem, & id, quod per illam formaliter fit, est quid creatum, & finitum, quamuis terminetur ad subsistentiam Verbi infinitam, quod non refert, quia non oportet, vt illa subsistentia contineatur in virtute, & potentia instrumenti.

Ad confirmationem respondetur, concipi opera viri latius patere, quam generari ab homine lapsò, & descendente ab Adamo, posse enim denuo creari homo à quo Christus generaretur, & hoc latè esset ad intentionem nostram, loquimur enim simpliciter de absoluta potentia. Secundò dicitur, hec in homine lapsò habere efficaciam argumentum, quia licet humanitas talis hominis, si sibi in se relinquere, vt in propria persona subsisteret, ex vi suæ conceptionis, obnoxia esset originali peccato, tamen supposita vnione hypostatica, ex vi illius feret immunis ab originali culpa, vt dixi latius in 1. com. q. 15. disp. 33. sect. 2. conclus. 2.

QVÆSTIO XXXIII.

De modo, & ordine conceptionis Christi, in quatuor articulos diuisa.

De qua disputant Doctores in 3. sentent. d. 3.



Einde considerandum est de modo, & ordine conceptionis Christi.

Et circa hoc quaruntur quatuor.

Primo, vt in primo instanti conceptionis fuerit formatum.

Secundo, vt in primo instanti conceptionis fuerit animatum.

Tertio, vt in primo instanti conceptionis fuerit à Verbo assumptum.

Quarto, vt in primo instanti conceptionis fuerit naturalis, vel miraculosa.

ARTICVLVS I.

Vtrum corpus Christi fuerit formatum in primo instanti conceptionis.



Primum sic proceditur. Videtur, quod corpus Christi non fuerit formatum in primo instanti sue conceptionis. Dicitur enim in Ioan. 2. Quod triginta & sex annis edificatum est templum hoc, quod exponens Augustinus in 4. de Trinitate dicit. Hic numerus perfectioni Dominici corporis aperte congruit. Et in lib. 38. Quæstionum dicit. Non absurdè quod triginta & sex annis dicitur fabricatum esse templum, quod corpus eius figurabat, vt quot anni fuerunt in fabrica templi, tot dies fuerunt in corpore Dominici. Fr. Suarez. Tom. 2.

Tom. 1. disp. 10. sect. 1.

180.
Id. q. 5. ar. 2. & 4. con-
tra 44.
li. 4. de Trin.
1. in prin. c.
12. l. 83. qu.
95. in fin.
104.

perfectiōe. Non ergo in primo instanti conceptionis corpus Christi fuit perfectè formatum.

2. Præterea, Ad formationem corporis Christi requiritur motus localis, quo purissimi sanguines de corpore Virginis ad locum generationi congruum, peruenirent. Nullum autem corpus potest moveri localiter in instanti: eo quod temporis motus diuiditur secundum diuisionem mobilis: vt probatur in 6. Physic. Ergo corpus Christi non fuit in instanti formatum.

1. 6. phys. text.
27. 38. & 39.
10. 2.

3. Præterea, Corpus Christi formatum est ex purissimis sanguinibus Virginis, vt supra habitum est. Non autem potuit esse materia illa in eodem instanti sanguis, & caro: quia sic materia simul fuisset sub duabus formis. Ergo aliud fuit instans, in quo ultimo fuit sanguis, & aliud in quo primo fuit caro formata. Sed inter qualibet duo instantia est tempus medium, ergo corpus Christi non fuit in instanti formatum, sed per aliquod tempus.

q. 21. art. 5.

4. Præterea, Sicut potentia augmentatiua requirit determinatum tempus in suo actu, ita etiam & virtus generatiua: vt c. 9. nim est potentia naturalis, ad vegetatiuam animam pertinens. Sed corpus Christi fuit determinato tempore augmentatum, sicut & aliorum hominum corpora: dicitur enim Luc. 2. quod proficiebat sapientia, & ætate: ergo videtur, quod par ratione formatio corporis eius, quæ pertinet ad vim generatiuam, non fuerit in instanti, sed determinato tempore, quo aliorum hominum corpora formantur.

Sed contra est, quod Gregor. dicit in 8. Moralium, Angelo nuntiante, & Spiritu sancto adueniente, mox Verbum in vtero, mox intra vterum Verbum caro.

li. 8. c. 35 in pri. 16.

Respondeo dicendum, quod in conceptione corporis Christi tria est considerare. Primo quidem motum localem sanguinis ad locum generationis: secundo, formationem corporis ex tali materia: tertio autem augmentum, quo perducitur ad quantitatem perfectam. In quorum medio ratio conceptionis consistit, nam primum est conceptioni præambulum, tertium autem conceptionem consequitur. Primum autem non potuit esse in instanti: quia hoc est contra ipsam rationem motus localis corporis cuiuscumque, cuius partes successinè subintrant locum. Similiter, & tertium oportet esse successiuum: tum quia augmentum non est sine motu locali: tum etiam quia procedit ex virtute animæ iam in corpore formato operantis, quæ non operatur nisi in tempore. Sed ipsa formatio corporis, in qua principaliter ratio conceptionis consistit, fuit in instanti, duplici ratione. Primo quidem propter virtutem agentis instanti, scilicet Spiritus sancti, per quem corpus Christi est formatum, vt supra dictum est. Tanto enim aliquod agens citius potest materiam disponere, quanto maioris virtutis est. Vnde agens infinite virtutis, potest in instanti materiam disponere ad debitam formam. Secundo, ex parte personæ Filij, cuius corpus formabatur: non erat congruum vt corpus humanum assumeret nisi formatum. Si autem ante formationem perfectam aliquod tempus conceptionis præcessisset, non posset tota conceptio attribui filio Dei, quæ non attribuitur ei nisi ratione assumptionis. Et ideo in primo instanti, quo materia aduata peruenit ad locum generationis, fuit perfectè formatum corpus Christi, & assumptum. Et per hoc dicitur ipse filius Dei conceptus: quod aliter dici non posset.

q. 21. art. 1.

Ad primum ergo dicendum, quod verbum Augustini vtroque, non refertur ad solam formationem corporis Christi, sed ad formationem simul tum determinato augmento vsq; ad tempus partus: vnde secundum rationem illius numeri dicitur perfici tempus nouem mensium, quo Christus fuit in vtero Virginis.

Ad secundum dicendum, quod motus ille localis non comprehenditur infra ipsam conceptionem, sed est conceptioni præambulus.

Ad tertium dicendum, quod non est assignare vltimum instanti.

K

instans, in quo materia illa fuit sanguis, sed est assignare vltimum tempus, quod continuatur nullo interueniente medio ad primum instans, in quo fuit caro Christi formata. Et hoc instans fuit terminus temporis motus localis materia ad locum generationis.

Ad quartum dicendum, quod augmentum fit per potentiam augmentatiui ipsius quod augetur. Sed formatio corporis fit per potentiam generatiuam, non eius qui generatur, sed ipsius generantis ex semine, in quo operatur vis formatiua ab anima patris derivata. Corpus autem Christi non fuit formatum ex semine viri (sicut supra dictum est) sed ex operatione Spiritus sancti, & ideo talis debuit esse formatio, vt Spiritum sanctum deceret. Sed augmentum Corporis Christi fuit factum secundum potentiam augmentatiuam anima Christi quæ cum sit specie conformis anima nostra, eodem modo debuit corpus illud augeri, sicut & alia hominum corpora augmentantur, vt ex hoc ostenderetur veritas humana natura.

COMMENTARIUS.

Distinguit D. Thomas tria, quæ in conceptione Christi interuenerunt, scilicet, congregationem sanguinis ad locum conceptionis, formationem corporis, & eius augmentum. Primum dicit factum esse in tempore, quia fit per motum localem: & in solutione ad secundum aduertit, hunc motum non pertinere ad conceptionem, sed esse quid extrinsecum applicans illi materiam, & ideo nihil referre ad perfectionem conceptionis, quod hæc sanguinis congregatio in tempore fit facta. Illud verò in hac assertionem difficile est explicatu, quid sub hoc locali motu comprehendatur, quod sequenti disputatione explanabimus.

Iam verò corporis formationem ait D. Thom. factam esse in momento, quod duplici ratione confirmat: Prima est, quia virtus Spiritus sancti est infinita. Quæ ratio immediatè solum probat hoc esse possibile: subintelligit autem D. Thomas decuisse Spiritum sanctum in medio faciendi hoc opus ostendere omnipotentiam suam, modo perfectissimo illud perficiendo, quandoquidem ad Verbi incarnationem ordinabatur. Secunda ratio indiget maiori expositione, sic enim D. Thom. colligit. Deus conceptus est ex Virgine, ergo oportuit, vt in primo momento, in quo facta est, vel inchoata conceptio, facta etiam fuerit vnio hypostatica carnis ad Verbum, aliàs non tota conceptio ad Deum esset terminata, ergo oportuit, vt simul fuerit conceptio inchoata, & consummata. vsque ad coniunctionem carnis cum anima rationali, quia non decuit Verbum assumere carnem, antequam anima informaretur.

Obiectio.

Sed dicet aliquis, non sequi inconueniens, etiam si dicamus corpus illud fuisse humano more, quadraginta, & amplius diebus perfectum, & tamen non esse assumptum vsque ad rationalis animæ introductionem, quia vsque ad illud instans, nondum est corpus humanum, neque actio, quæ antecedit instans generationis, est reuera humana conceptio, nisi remore, & habitudine quadam: sicut dicitur generatio inchoari in alteratione, quæ antecedit. Conceptio enim humana generationem substantialem in tali specie significat, vnde licet præcedens alteratio successiuè facta esset, nihilominus verè, ac propriè diceretur Deus conceptus ex Virgine. Respondetur, nomine conceptionis totum illud includi, & valde decuisse, vt diuinum Verbum totam humanam conceptionem assumeret, ac quodammodo deificaret, nec decuisse, vt Spiritus sanctus aliquid ex sanguine Virginis fabricaret, quod non esset Deus, seu Deo hypostaticè vnitum, & ipsam etiam Virginem decuit, nihil vnquam concipere nisi

Responsio.

Deum, vnde Luc. 1. dicitur, Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Quod enim ex te nascetur sanctum, vocabitur filius Dei.

Dices fortasse non esse inconueniens vt caro fuerit à principio assumpta priusquam esset animata, sicut post mortem mansit vnita Verbo sine anima. Nam sicut eo tempore solum erat caro humana per habitudinem ad animam, quam habuerat, ita ab initio conceptionis potest dici caro humana, quia ad suscipiendam rationalem animam præparatur. Respondetur non esse similem rationem. Non enim decuit Verbum diuinum prius tempore assumere corpus, quam rationalem animam, aut prius fieri embrionem, aut aliquid simile, quam hominem, vt latius supra diximus q. 6.

Tertium, scilicet augmentum corporis, dicit D. Thom. factum esse in tempore, per successiuum augmentum. Quod per se constat, est enim hoc extra rationem conceptionis, & naturali modo, ac virtute animæ fit.

Iuxta hanc assertionem explicat D. Tho. in fol. ad 1. loca Augustini in 4. de Trinit. & in libr. 83. quæstionum, vbi sentit corpus Christi successiuum temporis fuisse perfectum in vtero matris, & est sine dubio verus sensus eius. Dicit enim quadraginta sex senariis diebus fuisse corpus Christi perfectum, qui dies ten numerus, nouem menses conficit. Quomodo autem tot dies fuerint requisiti ad perfectum augmentum corporis Christi intra viscera matris, cum in vno instanti habuerit corpus tam perfectum, quam alij habere solent quadraginta diebus, hoc non exposuit Augustinus, attingit tamen D. Thomas articulo sequenti, argumento secundo, & dicemus disputatione sequenti.

ARTICVLVS II.

Vtrum corpus Christi fuerit animatum in primo instanti sua conceptionis.



Secundum sic proceditur. Videtur, quod corpus Christi non fuerit animatum in primo instanti sua conceptionis. Dicit enim Leo Papa in Epistola ad Iulianum: Non alterius natura erat caro Christi quam nostra, nec alia illi, quam ceteris hominibus anima est inspirata principio. Sed aliis hominibus non infunditur anima in primo instanti sue conceptionis, ergo nec corpori Christi anima debuit infundi in primo instanti sua conceptionis.

2. Præterea Anima sicut qualiter forma naturalis requirit determinatam quantitatem in sua materia. Sed in primo instanti conceptionis corpus Christi non habuit tantam quantitatem, quam habent corpora aliorum hominum, quando animantur: alioquin si continue fuisset postmodum augmentatum: vel citius fuisset natum, vel in sua natiuitate fuisset maioris quantitatis, quam alij infantes. Quorum primum est contra Augustinum 4. de Trin. vbi probat eum spatium nouem mensium in vtero Virginis fuisse: secundum autem est contra Leonem Papam, qui in sermone Ephraïm dicit, in sermo. 4. quod Magi viderunt, & adorauerunt puerum Iesum, in nullo ab humane infantie generalitate dissimilem. Non ergo corpus Christi fuit animatum in primo instanti sue conceptionis.

3. Præterea, Vbiunque est prius, & posterius, oportet esse plura instantia. Sed secundum Philosophum in libr. de Generatione animalium in generatione hominis requiritur prius, & posterius: prius enim est viuum, & postea animal, & postea homo: Ergo non potuit animatio Christi perfici in primo instanti sue conceptionis.

Sed contra est, quod Damasc. dicit in 3. libro. Simul caro & simul Dei Verbi caro, simul caro animata anima rationali, & intellectu.

Responsio.

in Symbol.
Apostol.
q. 2. ar. 1.

Respondeo dicendum, quod ad hoc quod conceptio ipsi filio Dei attribuitur (ut in Symbolo confitemur, dicentes. Qui conceptus est de Spiritu sancto) necesse est dicere, quod ipsum corpus Christi, dum conciperetur, esset à Verbo Dei assumptum. Oportet enim, quod Verbum Dei assumpsit corpus mediante anima, & animam mediante spiritu, id est intellectu. Unde oportuit, quod in primo instanti conceptionis corpus Christi esset animatum anima rationali.

Ad primum ergo dicendum, quod principium inspirationis anima potest considerari dupliciter. Vno modo secundum dispositionem corporis: & sic non ab alio principio inspirata est anima corpori Christi: & corporibus aliorum hominum: sicut enim statim formato corpore alterius hominis, infunditur anima, ita sicut in Christo. Alio modo potest considerari dictum principium solum secundum tempus: & sic quia prius tempore formatum fuit perfectè corpus Christi, prius tempore fuit etiam animatum.

Ad secundum dicendum, quod anima requirit debitam quantitatem in materia, cui infunditur, sed ista quantitas quandam latitudinem habet, quia & in maiori, & in minori quantitate saluatur. Quantitas autem corporis, quam habet, cum primo sibi infunditur anima, proportionatur quantitati perfectæ, ad quam per augmentum perueniet: ita scilicet quod maiorum hominum maiorem quantitatem corpora habent in prima animatione. Christus autem in perfectâ erat habuit decentem & medietatem quantitatem, cui proportionabatur quantitas, quam corpus eius habuit in tempore, quo aliorum hominum corpora animantur: minorem tamen habuit in principio sue conceptionis. Sed tamen illa parua quantitas non erat tam parua, ut in ea non posset ratio animati corporis conservari, cum in tali quantitate quorundam paruorum hominum corpora animantur.

Ad tertium dicendum, quod in generatione aliorum hominum locum habet, quod dicit Philosophus, propter hoc quod successiue corpus formatur, & disponitur ad animam. Unde primo tanquam imperfectè dispositum recipit animam imperfectam: & postmodum quando perfectè est dispositum, recipit animam perfectam. Sed corpus Christi propter infinitam virtutem agens fuit perfectè dispositum in instanti, unde statim in primo instanti recepit formam perfectam, id est animam rationalem.

Hic articulus non indiget commentario, non enim est in illo noua difficultas præter tractatam in articulo præcedenti. Supposito enim priori miraculo de perfecta formatione corporis Christi in momento, absque nouo miraculo quasi naturali lege cōsequetur, ut corpus illud in eodem instanti anima rationali formaretur. Quia materiæ perfectè dispositæ, proportionata forma naturali lege debita est.

ARTICVLVS III.

Verum corpus Christi in primo instanti sue conceptionis fuerit à Verbo assumptum.

128.
34. q. 2. ar.
3. & 4. q.
1. ar. 2. & 4.
contra c. 44.
& 45.



Ad tertium sic proceditur. Videtur, quod caro Christi prius fuerit concepta, & postmodum assumpta. Quod enim non est, non potest assumi. Sed caro Christi per conceptionem esse incepit. Ergo videtur, quod fuerit assumpta à Verbo Dei, postquam fuit concepta.

2. Præterea, caro Christi fuit assumpta à Verbo Dei mediante anima rationali. Sed in termino conceptionis accepit animam rationalem. Ergo in termino conceptionis fuit assumpta, sed in termino conceptionis dicitur iam concepta, Ergo prius fuit concepta, & postmodum assumpta.

Fr. Suarez, Tom. 2.

3. Præterea, In omni generato prius tempore est id, quod est imperfectum, & quod est perfectum: ut patet per Philosophum in 9. Metaphys. Sed corpus Christi est quiddam generatum. Ergo ad ultimam perfectionem, quæ consistit in vniōe ad Verbum Dei, non statim in primo instanti conceptionis peruenit, sed primo fuit caro concepta, & postmodum assumpta.

Sed contra est, quod Augustinus dicit in lib. de fide ad Petrum: Firmissime tene, & nullatenus dubites, carnem Christi non fuisse conceptam in utero Virginis: priusquam susciperetur à Verbo.

Respondeo dicendum (sicut supra dictum est) proprie dicimus Deum factum esse hominem, non autem proprie dicimus, quod homo factus sit Deus: quia scilicet Deus assumpsit sibi id quod est hominis, non autem præexistit id quod est hominis, quasi per se subsistens antequam susciperetur à Verbo. Si autem caro Christi fuisset concepta antequam susciperetur à Verbo, habuisset aliquando aliquam hypostasim præter hypostasim Verbi Dei, quod est contra rationem Incarnationis: secundum quam ponimus Verbum Dei esse vnitum humane nature, & omnibus partibus eius in vniatē hypostasis. Nec fuit conueniens quod hypostasim præexistente humane nature vel alicuius partis eius, Verbum Dei sua assumptione destrueret. Et id contra fidem est dicere, quod caro Christi prius fuerit concepta, & postmodum assumpta à Verbo Dei.

Ad primum ergo dicendum, quod si caro Christi non fuisset in instanti formata, seu concepta, sed per temporis successionem, oporteret alterum duorum sequi, vel quod assumpta nondum esset caro, vel quod prius esset conceptio carnis quam eius assumptio. Sed quia ponimus conceptionem in instanti esse perfectam, consequens est, quod in illa carne simul fuit concipi, & conceptum esse. Et sicut Augustinus dicit in lib. de fide ad Petrum: dicimus ipsum Dei Verbum sue carnis acceptione conceptum, ipsamque carnem, Verbi incarnatione conceptam. Et per hoc patet etiam responsio ad secundum. Nam simul dum caro illa concipitur, concepta est, & animatur.

Ad tertium dicendum, quod in mysterio Incarnationis, non consideratur ascensus quasi alicuius præexistentis proficientis usque ad vniōis dignitatem: sicut posuit Photinus hereticus, sed potius consideratur ibi descensus secundum quod perfectum Dei verbum, imperfectionem nature nostre sibi assumpsit, secundum illud Ioan. 6. Descendit de celo.

ARTICVLVS IIII.

Verum conceptio Christi fuerit naturalis vel miraculosa.



Ad quartum sic proceditur. Videtur, quod conceptio Christi fuerit naturalis. Secundum enim conceptionem carnis, Christus dicitur filius hominis. Est autem verus, & naturalis filius hominis sicut verus, & naturalis Dei filius: ergo eius conceptio fuit naturalis.

2. Præterea, Nulla creatura producit operationem miraculosam. Sed conceptio Christi attribuitur Beate Virgini, quæ est pura creatura: dicitur enim quod Virgo Christum concepit. Ergo videtur, quod non sit miraculosa conceptio, sed naturalis.

3. Præterea, ad hoc quod aliqua transmutatio sit naturalis, sufficit quod principium passuum sit naturale: ut quæ præc. ar. 4. supra habitum est. Sed principium passuum ex parte ma-

capit. 18 in
prin 10. l.

q. 16. ar. 6.
& 7.

129.

31. d. q. 2. ar.

2. & 4. con-

tra c. 45 &

quo. 6. q. 10.

Opus. 3. ca.

225 vsq. ad.

232 & 1. ai.

7. le. 2. co. 2.

prime.

K 2

111 in

vis in conceptione Christi fuit naturale: vt ex dictis patet. Ergo conceptio Christi fuit naturalis.

q 32 arti. 41. In epi. qua inc. Quæst. tu quidem, circa med. illius cap 6 circa med. tom. 2
Sed contra est, quod Dionysius dicit in Epistola ad Caium monachum: Super hominem operabatur Christus ea, quæ sunt hominibus: & hoc monstrat Virgo supernaturaliter concipiens.

Respondeo dicendum, quod sicut Ambr. dicit in libro de Incarnatione, multa in hoc mysterio, & secundum naturam inueniens, & ultra naturam. Si enim consideremus id, quod est ex parte materie conceptus, quam mater ministravit, totum est naturale. Si vero consideremus id, quod est ex parte virtutis actiue, totum est miraculosum. Sed quia vnumquodq; magis indicatur secundum formam, quam secundum materiam, & similiter secundum agens, quam secundum patiens: inde est quod conceptio Christi debet dici simpliciter miraculosa, & supernaturalis, sed secundum aliquid naturalis.

Ad primum ergo dicendum, quod Christus dicitur naturalis filius hominis, in quantum habet naturam humanam veram per quam est filius hominis: licet eam miraculose habuerit. Sicut cæcus illuminatus, videt naturaliter per potentiam visiuam, quam miraculose accepit.

Ad secundum dicendum, quod conceptio attribuitur Virgini Beate, non tanquam principio actiui: sed quia ministravit materiam conceptui, & in eius vtero est conceptio celebrata.

Ad tertium dicendum, quod principium passiuum naturale sufficit ad transmutationem naturalem, quando naturali, & consueto modo mouetur à principio actiui proprio. Sed hoc in proposito non habet locum. Et ideo conceptio illa non potest dici simpliciter naturalis.

COMMENTARIUS.

Quæstio huius articuli solum spectat ad modum loquendi, nam res satis constat ex ijs, quæ supra dicta sunt de hac conceptione, & quæ de illius modo statim dicemus. Vnde nihil in textu D. Thom. occurrit explicandum præter solutionem ad 1. in qua D. Tho. ait Christum dici naturalem filium hominis, in quantum habet veram naturam humanam, per quam est filius hominis, licet eam miraculose habuerit.

Obiectio.

Statim enim occurrit obiectio, aliud est enim esse naturalem hominem: aliud vero esse naturalem filium hominis, vt ergo Christus sit verus, ac naturalis homo, satis est quod habeat veram naturam hominis, non tamen hoc sufficit, vt sit naturalis filius hominis. Homo enim dicitur à natura, filius autem ab origine, & ideo, sicut vt sit homo, requirit humanam naturam, ita vt sit naturalis filius, naturalis origo necessaria est, alias si humana eius natura formata esset ex costa Virginis, vel alio simili modo, nihilominus fuisset naturalis filius hominis quod est planè falsum. Respondetur verum esse, quod obiectio sumit, ad humanam filiationem præter humanam naturam necessarium esse originem, & hoc ipsum D. Thomas insinuat, cum addidit, in

Responsio

Christus quantum habet naturam humanam, per quam est filius hominis. Vt vero mens eius radicatus intelligatur considerare oportet, aliud esse generationem, vel conceptionem esse veram: aliud esse naturalem: rursus recolere oportet, opus interdum dici miraculosum ratione termini, interdum vero tantum ratione modi. Conceptio ergo Christi ex Virgine, vera conceptio, ac generatio humana fuit, quantum ex parte matris esse oportet (vt superius explicatum est) modus autem fuit aliquo modo supernaturalis in velocitate, & similibus circumstantijs, quæ veritatem conceptionis non tollunt. Rursus ex parte causæ efficientis fuit illa conceptio supernaturalis: terminus autem eius omnino naturalis, agimus enim præcisè de conceptione, non de-

A hypostatice vnione. Quia ergo conceptio actionem significat, & habitudinem dicit ad efficientem causam, ideo sicut supernaturali virtute facta est, ita supernaturalis simpliciter dicitur, licet ex parte materię, & termini naturalis quodammodo sit, hoc tamen satis est, vt Christus dicatur simpliciter naturalis filius hominis. Quia vt sit filius, satis est, quod veram humanam originem habeat ex matre, vt vero dicatur naturalis filius, satis est, vt ex vi illius originis eandem naturam habeat cum matre. Non enim dicitur naturalis filius propter modum, sed propter terminum originis, & hoc significauit Diuus Thomas cum dixit esse filium naturalem, in quantum habet naturam humanam, scilicet communicatam per veram conceptionem naturalem ex parte materię, & termini. Et in hoc sensu recte videtur exemplo cæci illuminari. Nam in eo opere, quauis modus sit supernaturalis, terminus tamen naturalis existit.

DISPUTATIO XI.

in duas Sectiones distributa.

De tempore, & modo, quo Christi conceptio ex Virgine perfecta est.



E tempore huius conceptionis, id est de anno, mense, die, & hora, quibus facta est, nihil est, quod dicamus. Supra enim ostendimus factam esse tempore annuntiationis Angelicæ, de qua ea omnia ibi tractauimus. Solum igitur restat agendum de tempore, quatenus respicit modum conceptionis, & est mensura eius, quod est querere, an hæc conceptio fuerit successiua actio, vel instantanea, nec enim alius modus inquirendus, aut explicandus superest: cætera enim omnia, quæ desiderari possunt, explicando causas conceptionis, exposta sunt. Duo ergo breuiter de hoc modo dicemus, scilicet quis fuerit possibilis, vel qualis re ipsa seruatus sit.

SECTIO I.

Virum fuerit possibile conceptionem Christi fieri in instanti.

Suppono non esse sermonem de tota actione, seu augmento post creationem, & informationem animæ subsequutam, quia extra conceptionem est. Suppono secundo non esse quæstionem de vnione animæ ad corpus: nam etiam extra controuersiam est, in initio factam esse in instanti, hoc enim est proprium initium rerum permanentium. Tercio nullam oportet esse quæstionem de productione, seu intensione quarumcunque qualitatum, quibus humanum corpus disponitur. Quia huiusmodi actio ex vi sui intrinseci termini non requirit successione, sed solum ex contrariarum qualitatum resistentia, seu ex indispositione subiecti, virtuti autem infinitæ Spiritus Sancti nullum contrarium resistere potest, quominus effectum suum possit in instanti producere. Difficultas ergo in duobus consistit. Primo, in sanguinis congregatione, quæ corporis formationem antecessit. Secundo in formatione corporis, id est organizatione, ac distinctione membrorum diuersarum figurarum, densitatem, vel raritatem habentium.

Circa primum D. Thomas hic indicare videtur illam congregationem non potuisse fieri in instanti, sed tantum in tempore. Quia necessario requirit motum localem, & ita videntur intelligere D. Thomæ interpretes.

Dicen-

*Congregatio sanguinis ad conceptionem Christi necessaria con-
stitutum esse in Virginis instanti potuit.*

Dicendum autem videtur primò, non implicaf-

A est, eiusdem figuræ, raritatis, & similium dispositio-
num, intelligi ergo non potest, hunc sanguinē coagu-
lari, condensari, & in diuersis partibus varijs figuris
formari, nisi necessariò intelligatur partes eius mu-
tare locum. Quia pars deflor facta minorem locum
occupat, quàm antea, diuersa etiam figura diuer-
sum situm in loco requirit, suppono enim corpus il-
lud in principio, & termino actionis esse naturali
modo in loco: ergo non magis hæc formatio potuit
in instanti fieri, quàm localis motus.

Difficultas verò in contrarium est; quia D. Tho.
magnam differentiam inter hæc constituit. Ego au-
tem ingenuè fateor nescire me satisfacere difficul-
tati positæ. Vnde conuincor ad dicendum non po-
tuisse hanc formationem fieri in instanti, secundum
se totam, nisi simul efficiendo, vt partes sanguinis
mutarent sua loca sine transitu per medium: Quia

*Formatio
corporis Christi
si in instanti
fieri quomodo
potuit.*

B aliàs non posset intelligi illa locorum mutatio sine
successione. Supponimus enim in eo instanti, quo
facta est conceptio, singulas partes corporis fuisse
tantum in locis sibi proprijs, & adequatis, & nul-
lam earum fuisse in pluribus locis, aut in maiori lo-
co, quàm naturaliter posset occupare, ne nouū mi-
raculum sine fundamento, aut necessitate fingamus
Prædicto autem modo possibile fuit huiusmodi cor-
poris formationem in instanti fieri, efficiendo scilicet,
vt totus sanguis, qui toto tempore præcedenti
hunc locum occupauit, habens hanc partem in hoc
loco, & illam in illo, & sic de alijs, subitò in instanti
conceptionis aliter secundum partes suas se habue-
rit ad totum locum. Sicut posset Deus in vno mo-
mento ita mutare spheram solis intra suum spā-
tium, vt pars, quæ immediatè antea erat in Occi-

C dente, nunc sit in Oriente, & è contrario: ad quod
necessarium est, vt secundum partes mutata fuerit
ab extremo in extremum sine medio: neque in hoc
est maior repugnantia, quàm in eo, quod circa prio-
rem partem diximus. Quid verò ad D. Th. dici pos-
sit, explicabimus sectione sequenti. Ex hoc vero co-
sequenter sequitur, si formatio corporis hoc modo
facta est in instanti, non potuisse Virginem ad illam
concurrere per facultatem vitalem operantem vi
naturali, vt talis est. Quia hic modus formationis
includit mutationem, quæ omnino est extra latitu-
dinem naturalium, & vitalium actionum talis fa-
cultatis, vt ostensum est.

SECTIO II.

D Vtrum formatio corporis Christi facta sit in in-
stanti.

S Vppositis, quæ dicta sunt, solum potest versari
quæstio de illa duplici actione, scilicet de con-
gregatione sanguinis, quæ antecedit conceptionem,
& de ipsa corporis formatione.

Quoad priorem, veram existimo sententiam D. *Congregatio
Thomæ illam mutationem factam esse in tempore sanguinis ad
per verum localem motum, non quia aliter fieri. Christi con-
pugnauerit (vt dixi) sed quia non omnia miracula ceptione ne-
asserenda sunt, sed quæ fundamentum habent, & cessaria, im-
probari possunt, vel quia necessaria, vel quia myste-
rio admodum consentanea: nihil autem horum hic
intercedit.*

E intercedit Nulla enim est authoritas, quæ nos cogat
ad credendum hic illud magnum miraculū trans-
ferendi vnum corpus de loco ad distantem locum,
sine transitu per medium. Nulla est etiā necessitas.
Quia cum illa sanguinis congregatio ad conceptio-
nem intrinsecè non pertineat, necessarium non est,
vt Deus, seu Verbo possit tribui, potuit ergo fieri in
sanguine nondum vnito Verbo, atque adeo in tem-
pore conceptionem, & vñionem hypostaticam an-
tecedentem. Deniq; nihil aliud est magis consenta-
neum mysterio, quia oportuit, vt seruata in omni-
bus, quæ necessaria essent, conceptionis huius digni-

*Transitus de
extremo in
extremum sine
transitu per
medium non
est impossibi-
lis.*

Palud.

Adde verò vterius hanc sanguinis congregatio-
nem fieri non potuisse hoc modo in instanti concur-
rente actiue B. Virgine, & adhibente aliquam natu-
ralem vim ad illam mutationem. Potuit quidem
Deus vt ad hunc effectum naturalibus Virginis fa-
cultatibus, tanquam instrumento operante per po-
tentiam obedientialem actiuam modo supernatu-
rali, ea scilicet ratione, quæ posset Deus per quam-
cumq; creaturam eam mutationem efficere; non po-
tuit autem fieri, vt B. Virgo per facultatem natu-
ralem proprijs viribus naturaliter operantem aliquid
circa mutationem illam operaretur. Quia illa mu-
tatio omnino est extra ordinem naturalium motuū
& actionum vitæ vegetatiuæ. Differt enim essentia-
liter illa mutatio ab attractione, vel impulsu, quib;
tantum duobus modis potest naturalis potentia ali-
quod extrinsecum corpus mouere.

Circa secundum de organizatione, seu formatio-
ne corporis, difficultas oritur ex superiori puncto.
Quia si motus localis non potest fieri nisi in tem-
pore, omnis mutatio, quæ intrinsecè, vel concomitan-
ter requirit mutationem loci, non magis poterit fie-
ri in instanti, quàm motus localis. Vnde D. Thomas
probat, augmentationem corporis Christi factam
esse in tempore, quia necessariò coniunctam habet
loci mutationem, sed idem omnino est de corporis
delineatione: nam hæc etiam includit mutationem
loci secundum diuersas partes. Quod ita facile de-
claratur, constituamus enim in loco conceptionis
totum necessarium sanguinem, qui homogeneus

Fr. Suarez, Tom. 2.

K 3

late,

tate, in alijs seruaretur naturalis modus quoad fieri posset, & ideo decuit, vt B. Virgo (vt supra dicebamus) naturali, ac vitali facultate sua vim adhereret ad attrahendum, congregandumq; sanguinem, ita vt motus ille quoad substantiam naturalis esset, & vitalis, & solum in velocitate, ac subtilitate supernaturalis. Vnde verisimile est, cum primum B. Virgo cepit prestare consensum illo verbo, *Ecce*, cepisse simul quasi exhibere, & collocare sanguinem in loco ad conceptionem Christi accommodato, Spiritu Sancto eam mouente, & vim, ac efficaciam praestante, vt supra dictum est. Neq; circa hoc occurrit alia difficultas notatu digna.

Quoad posteriorem vero actionem, quidam Haeretici hac nostra tempestate (vt Canisius refert lib. 3. de B. Virgine. c. 21.) negarunt Christi corpus formatum esse in instanti. Quod non inuenio quo fundamento alio asserere potuerint, nisi quia rei difficultate vincebantur, & Scripturae autoritate non convincebantur.

Dicendum vero est, conceptionem Christi Domini quoad ea, quae sunt de intrinseca ratione eius, facta esse in instanti. Haec conclusio praecipue nititur testimonio Ecclesiae, & Sanctorum. Probatur autem prius a liquo modo ex Scriptura, Luc. enim 1. dixit Angelus ad Virginem, *Ecce concipies in vtero, & paries filium*, & c. quem infra dicit fore, *magnum, & similem alijs*, dixit ergo, ipsum Dei filium fore concipiendum ex Virgine, tota ergo conceptio ad filium terminata est: sed non fuit terminata donec perfecta, quia non fuit caro prius assumpta, quam animata: ergo tota conceptio simul est facta. Vnde inferius subiungit Angelus, *Quod enim ex te nascetur sanctum, vocabitur filius Dei*, sicut ergo solus Spiritus Sanctus a principio conceptionem operatus est, ita etiam filius Dei a principio illam assumpsit, seu terminauit. Et ideo (vt ex Basilio statim dicam) illam conceptionem *Natiuitatem* vocat Angelus, quia non fuit prius initium conceptionis, quam natiuitas in vtero, quae in substantiali generatione perficitur. Secundo probatur ex 6. Synod. Actione 11. vbi Sophronius in sua epistola dicit simul fuisse carnem conceptam, animatam, & unitam verbo. Quem locum priori Tom. latè tractauimus circa quaestionem. 6. D. Thomae. Et confirmatur ex Basil. homil. 25. de humana Christi generatione, vbi tractans illud Angelicum verbum, *Quod in ea natum est*. Hinc, inquit, deprehendere licet quod non secundum modum carnis, constitutio domini fuit, conceptum namq; illico perfectum, non per intervalla paulatim formatum, vt planè verba declarant, non enim dicit, quod in ea conceptum est, sed quod in ea natum est. Eandem veritatem docet optimè Damasc. lib. 3. de fide c. 2. cuius verba statim perpendā. Euthy. etiam Mat. 1. tractans illa eadem verba. *Quod in ea natum est*, *Formatum*, inquit, *genitum dixit*, vt discamus non paulatim modo seminis formatum esse, sed repente quoad formationem perfectè factum esse: Vnde quod paulò antea, id quod formatum est in vtero Virginis, embryonem vocat, improprie & latè vsus est illa voce, vt significaret prolem recens genitam. Ratio ad hanc veritatem confirmandam satis explicata est circa art. 5. D. Tho. quia scilicet tota conceptio Christi ad Verbum est terminata. Vnde omnes Sancti, qui docent carnem Christi simul esse conceptam, & unitam, plurimum fauent eidem veritati. Optima sunt verba Fulgentij de fide ad Petrum, cap. 18. *Firmissime tene, & nullatenus dubites non carnem Christi sine diuinitate conceptam, prius quam assumeretur: alia reuli in citato loco 1. tom. Confirmari potest haec ratio: quia si Christi corpus paulatim perfectum esset, consequens fieret, vt prius quam omnibus suis membris constaret, rationali anima informaretur, quia iuxta communem Philosophorum doctrinam in alijs hominibus, in quibus corpus paulatim formatum, anima introducit post principium partium*

formationem, vt sunt iecur, cor, ac cerebrum, antequam corpus omni ex parte perfectum sit, necessarium igitur fuisset animam Christi hoc pacto introduci. Vnde sequeretur, vel corpus illud prius esse animatum, quam assumptum, quod est Haeticum, vel certè prius assumptum, quam perfectè formatum, quod non decebat.

Ex quibus omnibus intelligitur, veritatem hanc, esse conclusionem theologicam omnino certam, quam negare non solum temerarium, sed etiam erroneum esset, non dico autem simpliciter esse de fide, & contrariam haesim, quia neque ex Scriptura sacra aperte colligitur, nec expressam Concliorum definitionem inuenio: habet tamen praedictam certitudinem, quia ex principijs fidei, adiuncta Sanctorum expositione, & autoritate, necessariò colligitur. Adde praeterea, Ecclesiam celebrare festum Incarnationis in eodem die, quo annuntiatio Angelica facta est, sentiens eodem die Deum factum esse hominem. Vnde hoc, vt minimum videtur certum de fide & consequenter conceptionem Christi non esse factam per ea intervalla temporum, quibus aliae conceptiones sunt. Quin etiam supra ostendimus, antequam Angelus Gabriel à cubiculo Virginis discederet, Verbum factum esse hominem, huic autem valde affine est, vt illa conceptio subito fuerit perfecta, est igitur haec veritas certissima. Quapropter obseruandus est locus Theophy. Luc. 1. vbi tractans illa verba. *Virtus alijssimi obumbrabit tibi*, sic inquit, *Sunt, qui dicunt, quod vbi Dominus obumbravit vterum Virginis, statim perfectus fuerit infans: alij autem hoc non recipiunt. Audi enim, quod dicat, ideo, & quod nascetur sanctum, hoc est, quod particulatim in vtero creuit, & non statim perfectum existit. Quae verba exponi possent de perfectione augmenti, vt sensus sit, corpus Christi non statim in conceptione fuisse perfectum, id est, ea quantitate, quam alij tempore natiuitatis habent. Sed si considerentur superiora verba, non habet locum haec Expositio, aperte enim loquutus fuerat de prima carnis delineatione, & formatione ex sanguine Virginis, & debiù relinquit, an paulatim fuerit delineata, & figurata: sed (vt dixi) assertio Proposita omnino certa est: an vero dubitatio illa Theophylacti in aliquo sensu locum habeat, statim dicam.*

Sed occurrunt nonnullae difficultates. Prima est quomodo potuerit B. Virgo simul ministrare tantam sanguinis copiam, vt ex eo subito infans corpus formaretur. Oportuisset enim, vt vel antea B. Virgo nimio sanguine abundaret, vel postea necessario sanguine, ac proprio corpori proportionato caruerit. Respondetur, sine aliquo ex hisce incommodis potuisse B. Virginem praedictum ministrare sanguinem. Quia quantitas sanguinis, cum qua potest corpus sanum, & optimè proportionatum conseruari, magnam habet latitudinem, & ideo potuit B. Virgo abundare purissimo sanguine absque vllò incommodo, vel agitudine corporis. Imò hoc erat quasi connaturale: tum quia feminis datum est à natura, vt non solum ad diuini conservationem, sed etiam ad speciei propagationem, magnam vim sanguinis efficiant, praesertim in iuuenili, & accommodata aetate, qualis erat in Virgine. Ad quod etiam iuuabat optima corporis eius temperies, nec existimo illi defuisse singularem Spiritus Sancti providentiā, qua factum est, vt tali modo corpus suum gubernauerit, ac nutrierit, quo posset faciliè, & sine detrimento sui corporis, Christi corpori ministrare. Dici etiam posset, sicut ex parua materia costat Ade formatum Deum corpus Eux, ita ex perpaucò sanguine Virginis potuisse formari corpus infantis, quod multò minoris quantitatatis fuit, quam corpus Eux.

Secunda difficultas est, quia si corpus Christi integrum formatum fuit tam breui mora, necessariū fuisset exire de vtero matris ante nouē menses, quoniam

Canis.

Conceptio
Christi in
instanti fa-
cta.
Luc. 1.

Synod.

Disp. 16,
sect. 3.
Basil.

Damasc.

Euthym.

Fulgent.

Theophy.

Obiectio.

Responsio.

Obiectio.

nam alij infantes egrediuntur ante octauum mensis post perfectam conceptionem, alioqui oportuisset Christi corpus existere in utero matris in maiori quantitate, & mole, quam naturaliter esse posset. Hæc difficultas tribus modis solui potest, supponendo vt certum, Christum existisse in utero matris nouem mensibus, quod infra probabimus agentes de natiuitate. Primus modus est concedendo supposito primo miraculo conceptionis, naturaliter debuisse nasci ante nouem menses: diuinitus tamen factum esse, vt non antea nasceretur: tum vt occultaretur mysterium: tum ne monstrosa, & præternaturalis natiuitas videretur. Nec censebitur inconueniens, vt quantitatem aliquando maiorem in utero matris habuerit. Quadraginta quippe diebus non potuit adeo magnum esse illud augmentum, vt sensibus perciperetur, aut præternaturale videri posset. Hæc verò responsio non quadrat: quia multiplicat miracula sine fundamento, & necessitate, nec fibi ad modum constat, vt patebit.

Secundo ergo dici potest, licet corpus Christi in principio fuerit perfectum, postea tamen augmentum eius fuisse ita temperatum, & paulatim factum vt non nisi nouem mensibus perueniret ad debitam nascendi quantitatem. Cæterum & hæc responsio displicet, quia illa retardatio augmenti non potuit esse naturalis, vnde oporteret interuenire quali peritum miraculū in toto illo 9. mensium augmento.

Tertia igitur, & vera responsio est, quam D. Tho. supra tetigit, maximam, & minimam quantitatem corpori humano accommodatam non consistere in indiuisibili, sed nonnullam habere latitudinem: fieri ergo potuit, vt corpus Christi formaretur integrum in minima quadam quantitate, non quidem monstrosa, & præternaturali (vt quidam dixisse ferunt) sed in minima, quæ tali corpori poterat esse naturalis considerata eius complexione, & dispositione. Postea verò per nutritionem nouem mensium, peruenisse naturaliter, non solum ad minimam quantitatem accretionis, quam tale corpus posset naturaliter habere in utero matris (hanc enim ante expletum octauum mensem adipisci potuit) sed etiam ad maximam suæ complexioni accommodatam. Et hæc est sine dubio mens D. Thom. & ad eam possunt accommodari, quæ Caietan. dicit, licet non satis rem explicet. Addi etiam potest, partum, qui decimo mense contingit, non esse præter naturam, sed (vt Medici volunt) esse satis accommodatum naturæ. Vnde Sapientia 7. ait sapiens, *Decem mensium tempore, coagulatus sum in sanguine*. Potuit ergo Christi corporis perfecta formatio, licet nouem mensibus consummata fuerit, in aliquo esse simili decem mensium formationi propter primæ conceptionis celeritatem.

D. Thom.
Caietan.

Sapient. 7.

Obiectio.

Organiza-
tio corporis
non potest in
stanti fieri.

Tertia, & obscurior difficultas est. Quia hæc corporis formatio, & conceptio includit organorum distinctionem, condensationem, & figurarum varietatem: hæc autem omnia non possunt fieri in instanti. Nam (vt supra dictum est) habent mutationem localem adiunctam. Respondent aliqui organizationem esse dispositionem ultimam, quæ simul, & in eodem instanti fit, cum introducit forma, non solum miraculose, sed etiam ex natura rei, est. n. quasi effectus formalis eius, & veluti impressio cuiusdam figuræ. Sed hoc planè repugnat demonstratū. n. est, hanc formationem corporis organici, & membrorum eius, non posse naturaliter fieri totā simul: cum necessariò includat mutationē partiū in ordine ad locum: tum in partibus ipsius sanguinis, tū etiam in corpore circumstante. Nam si sanguis ex vna parte contrahitur, & condensatur, vt fiant ossa, & aliæ partes, necesse est relinquere aliquod spatium: & aerem subintrare ad replendum illud, quod planè non fit sine motu locali, & ex alia parte accidere potest, vt membra longiora occupent aliquod spatium,

A quod sanguis non occupabat, & consequenter inde expellant corpus præexistens, quod sine motu non fit. Denique organizatio propriè non est effectus formalis animæ, sed dispositio materiæ, quæ in ultimo, & perfecto gradu, qui ad generationem requiritur, in instanti eiusdem generationis consummatur, naturaliter autem loquendo prius tempore inchoatur, & per quadraginta, & amplius dies paulatim fit. Videtur ergo necessariò respondendum, hanc corporis Christi formationem factam esse in aliquo tempore, quamuis breuissimo, ita vt (exempli gratia) intelligamus eo breui tempore, quo B. Virgo protulit illa verba, *Ecce ancilla Domini*, congregatum esse sanguinem in utero, & non statim ac illuc peruenit, in vno instanti fuisse totum corpus formatum: sed alia breuissima morula, v. g. dum dicebat Virgo, *Fiat mihi secundum verbum tuum*, fuisse organizationem perfectam, & in instanti terminationis verborum Virginis consummatam, introductam animam, & vnionem hypostaticam perfectam. Ad quam expositionem videtur posse accommodari doctrina D. Thom. artic. 1. Cum enim dicit, motum localem sanguinis ad locum generationis factum esse in tempore, sub illo motu includi potest omnis mutatio, per quam tam sanguis totus, quam singulæ partes eius, constitutæ sunt in eo situ, & loco, quo in instanti generationis esse oportebat. Est enim eadem ratio de vtriusque mutatione, nec maius inconueniens videtur successionem in vna mutatione admittere, quam in alia. Et explicari potest exemplo formationis corporis Adæ, quod licet à D. E. O. ex terra formatum fuerit, tamen propter prædictam loci mutationem, in tempore forma-

B rum fuisse videtur, vt colligi potest ex D. Thom. 1. p. q. 91. ar. 2. ad 1. quatenus dicit, Angelos potuisse aliquid præuium operari ad illam formationem, per localem motum, atque idem est de formatione corporum resurgentium.

D. Thom.

Hæc responsio videtur præ se ferre quandā claritatem, & philosophicæ difficultati satisfacere. Tamen in Theologia mihi videtur admodum difficilis. Primò, quia ex illa sequitur conceptionem corporis Christi factam esse in tempore, & quoad hoc solum differre à nostra, quod breuiori tempore sit facta. Sicut enim conceptio nostra incipit, quando virtute seminis incipit sanguis coagulari, & ad figuras & dispositiones diuersorum membrorum coaptari, ita conceptio Christi incepit, quādo virtute Spiritus Sancti similis actio circa sanguinem Virginis inchoata est. Differentia autem erit, quod illa actio in conceptione nostra protenditur per quadraginta dies, in Christi autem conceptione per breuissimam moram accelerata est. Addi etiam posset alia differentia, quod in naturali conceptione partes ipsæ præcipuè inter se successiuè formantur, vna post aliam: in Christi autem conceptione dici potest, omnes fuisse simul inchoatas, ac breui tempore perfectas: hoc tamen non obstat, quominus conceptio Christi, sicut & nostra, simpliciter, & absolute successiuè facta sit. Hoc autem videtur improbari omnibus testimonijs, & rationib. supra adductis. Primò, quia necessariò sequitur, aut Verbum assumptum esse corpus illo breui tempore, priusquā informaretur anima, quod est hæreticū, vel certe non totam conceptionem Christi terminatam esse ad Verbum, quod repugnat Scripturæ, & Patrib. supra citatis. Secundo sequitur materiā sanguinis Virginis, ex qua conceptum est corpus Christi, non transisse immediatè à forma sanguinis ad suscipiendam animam rationalem Christi: Consequens primo est apertè contra D. Thom. hic ar. 1. ad 3. deinde repugnat supra dictis. Inde enim fieret prius B. Virginem ex suo sanguine, & in suis visceribus, concepisse aliquam aliam substantiam, & suppositum creatum, quam Deum. Prima sequela patet, quia si sanguis ille suc-

D. Thom.

cessiue condensatus est, vt formaretur os ex illo, immediate antequam absolueretur condensatio requisita in ea parte corporis humani, iam non poterat in illa materia conseruari forma sanguinis, preferatim, quia cum tali condensatione necessariò coniuncta est alteratio nimia, v.g. siccitatis, & frigiditatis, ergo necessarium fuit prius expelli formam sanguinis, sic enim in naturali nutritione propter hanc causam non transit sanguis immediate in os, sed prius transmutatur in medullâ, vt sic paulatim magis, ac magis accedat ad dispositionem ossis. Et idem argumentum fieri potest de toto illo corpore, quod successiue formabatur ad introductionem animæ: Nam immediatè ante animationem necessè est, vt habuerit eam dispositionem, quam habere solent alia corpora humana in eodem statu. Quia solum indiuisibilis terminus deesse poterat in eo instanti. Nam si deesset aliquid diuisibile in condensatione, & figuratione, eadem difficultas rediret: at verò corpus sic dispositum est aptum ad formam sanguinis, vt in alijs hominibus constat. Quod si dicas miraculosè factum esse, vt vel illa partium condensatio sine alteratione proportionata fieret, vel vt forma sanguinis permaneret in materia, in qua naturaliter esse non posset, magis consentaneu rationi erit aliud miraculū excogitare, quo tota illa conceptio subito, & sine vlla successione facta sit. Denique obstant huic modo dicendi testimonia sanctorum Patrum supra citata, quæ omnem prorsus successione excludunt. Sed inter omnia apertissima sunt verba Damasc. lib. 3. c. 2. dicens *Dei filium per Spiritum Sanctum pro creationis modo sibi ipsi corpus condidisse, non ita vt paulatim, & citisq; incrementis figura corporis absolueretur: sed vno, eodemque momento perficeretur.* At iuxta prædictam responsionem figura non est tota vno momento perfecta, sed in tempore, quamuis breui delineata. Obstat etiam D. Thom. qui in illo artic. 1. & in art. 2. ad 3. docet, statim ac sanguis Virginis congregatus fuit in vtero eius, in vno instanti terminatio illius motus localis fuisse Christi corpus formatum. Obstat denique communis sententia Theologorum in 3. d. 3. dicentium, formationem corporis Christi in instanti fuisse perfectam absque successione, & hoc dicunt fuisse maximum miraculum huius conceptionis, quod in solo instanti fuerit perfecta. Si autem successio, quamuis exigua interuenisset, nullum fere fuisset miraculum quod in instanti fuerit terminata conceptio: sed solum, quod velociori mutatione, & breuiori tempore esset perfecta. Ita Bona. ibi qu. vltima totius diffinit. Gab. d. 4. q. vnica art. 2. con. 2. qui etiam de antecedenti motu concedit factum fuisse in instanti, Palud. d. 3. q. 3. Alexan. Alenf. 3. p. q. 8. membr. 2. & q. 9. m. 4. & 4. p. q. 3. 4. m. 3. aliàs q. 10. memb. 4. art. 2. §. 6. Richar. d. 3. a. 2. q. 2.

Damasc.

D. Thom.

Vera responsio.

Chrysost.

Quo circa dicendum cenfeo, totam hanc conceptionem factam esse in instanti, & consequenter diuina virtute factum esse, vt tota illa materia, vel secundum se totam, vel secundum partes occuparet locum alium, quem immediatè ante habebat, eo modo, quo supra explicauimus hoc esse possibile. Cum enim hoc non repugnet, & auctoritati Sanctorum, & rationi, ac dignitati mysterij consentaneum sit, non est cur id asserere formidemus, aut magnitudine miraculi terreamur. Præsertim cum Chrysost. hom. 13. in Genesi indicet, formationem corporis Adæ hoc modo momentaneo fuisse factam, dicens. *Puluerem terræ suo præcepto in corporis naturam venit. Nam sicut substantiam terræ, cum non esset, produxit; ita & nunc cum veller, puluerem terræ in corpus vertit.* Iuxta hunc verò dicendi modum consequenter asserendum est B. Virginem non habuisse efficientiam, quasi connaturalem (& vt ita dicam) seminalem circa hanc corporis formationem, quatenus hanc momentaneam loci mutationem in-

cludit, vt ex dictis in præcedenti sectione constat. Neque hoc est contra veritatem conceptionis humanæ Christi, quæ ex parte principij efficientis omnino fuit miraculosa, & ex parte matris satis est, vt in administratione materiæ, & aliqua alteratione, seu dispositione fuerit naturalis. Dices, nullo modo potuisse concurrere actiue Beatam Virginem in eo instanti virtute naturali, cum tota actio fuerit miraculosa. Respondetur, licet fuerit miraculosa quoad modum, tamen quoad substantiam, & terminum fuit naturalis, & ideo potuit aliquo modo concurrere Beata Virgo ad aliquam alterationem, vt fouendo calore suo materiam illam, & calefaciendo, vel quid simile, quod satis est.

Obiectis.

Responsio.

Dubium.

Quod si quæras, si tantum miraculum necessarium fuit in momentanea formatione corporis, sicut in momentanea congregatione sanguinis, cur D. Tho. vnus potius negauit quam aliud? Respondetur, meritis id fecisse, quia, vt tota conceptio terminaretur ad Deum, fuit hoc miraculum in ipsa formatione necessarium, & aliunde non obstabat, quominus B. Virgo posset in eo instanti præstare, quod ex parte matris necessarium est: at verò in vtroq; horum contrarium accidit in sanguinis congregatione, vt in principio huius sectionis explicatum reliquimus.

QVÆSTIO XXXIII.

De perfectione proles conceptæ, in quatuor articulos diuisa.



Einde considerandum est de perfectione proles conceptæ.

Et circa hoc quaruntur quatuor.

Primo, vt in primo instanti conceptionis Christus fuerit sanctificatus per gratiam. Secundo, vt in eodem instanti habuerit vsum liberi arbitrij. Tercio, vt in eodem instanti potuerit mereri. Quarto, vt in eodem instanti fuerit plenè comprehensor.

Doctrina huius questionis fusè tractata est in primo tomo huius materiæ. Nam in q. 7. vbi D. Tho. agit de gratia Christi, omnia diximus, quæ ad 1. artic. huius questionis spectant, in q. autem 9. agendo de scientia Christi in communi, explicauimus, quando & quomodo ratione, & libero arbitrio vt inceptum: in q. verò 10. de scientia beata, quando primam illam susceperit, diximus, quod D. Tho. hic artic. 4. tetigit. Deniq; de merito eius, de quo D. Tho. differit artic. 3. in q. 19. latissimè dictum est. Omisita igitur inutili, & permolesta earundem rerum repetitione, solum ea, quæ ad intelligendum D. Tho. necessaria fuerint annotabimus.

ARTICVLVS I.

Vtrum Christus in primo instanti sue conceptionis fuerit sanctificatus per gratiam.



D primum sic proceditur. Videtur, quod Christus non fuerit sanctificatus in primo instanti sue conceptionis. Dicitur enim 1. ad Cor. 15. Non prius quod spirituale est, sed quod animale, deinde quod spirituale. Sed sanctifi-

catio gratia pertinet ad spiritualitatem. Non ergo statim à principio sue conceptionis Christus percepit gratiam sanctificationis, sed post aliquod spatium temporis.

2. Præterea, sanctificatio videtur esse à peccato, secundum illud 1. ad Cor. 15. 6. Et hoc quidem fuisse aliquando, scilicet peccatores, sed abluti estis, sed sanctificati estis: sed in Christo nunquam fuit peccatum: ergo non conuenit sibi sanctificari per gratiam.

3. Præ-